

EMBLEMA LXXI.

Oculi alieni.

LXXI.

Miserum est alieno cernere vultu.

Hei mihi, quàm miserum est alieno cernere vultu
 Omnia! conspicias, quæ potes, ipse tuo.
 Aspice, quàm salebras offendat cæcus ad omnes,
 Sit licet assuetæ dux canis antè viæ.
 Infelix Princeps, qui dum sibi credita spectat
 Omnia, nil oculis excutit ipse suis!
 Ducitur ah, non quò regni tutela salusque,
 Sed quò ductoris commoda spesque trahunt.
 Utque sit ille sagax, & gnarus quà sit eundum,
 Qui præit, & tuto tramite signat iter:
 Non tamen efficiet, ne peccent plurima Reges.
 Sæpe labat, catuli qui præeuntis eget.

Quid?